Lingnau 1829

EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO REGIO VARMIENSI

QUOD BRUNSBERGAE EST

DIEBUS XII. XIII. ET XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXIX

INSTITUENDUM

RITE INDICIT

D. GIDEON GERLACH

GYMNASII DIRECTOR.

REGIOMONTI,

TYPIS ACADEMICIS HARTUNGIANIS.

MDCCCXXIX.

De origine atque ratione terminationum Adjectivorum in alis (aris), ilis, elis et ulis desinentium.

Artium usus conjunctus; artes vero ipsae separatim tradendae.

Mandato mihi haud injucundo negotio, ut, quod quovis transacto scholari anno in vulgus edendum sit litterarii studii specimen, ex meis desumptum scriniis, publici juris facerem: tribus maxime rebus a me consulendum esse, haud inepte respexisse mihi videor. Primum, ne lectu prorsus indignam rem disceptationum litterariarum inferrem commercio, quod paucis abhinc annis jussi inter se exerceant civitatis nostrae ludi publici. Tum, quod haud minoris est momenti, ne officio professionis indebita, et a disciplina, quae elegantiores continet litteras, mihique prae caeteris maxime adamata, nimis aliena in legentium mitterem judicium censorium. Tertio vero, ut omni ostentationis sublato fuco ea maxime tractanda susciperem, quae ingeniis atque studiis puerorum juvenumque, litteris operam navantibus, aptissima, discendi cupiditatem excitare, ardoremque initam viam persequendi incendere possint. Quodsi si non omni ex parte his promissis satisfecero, subducti supercilii carptores haud morabor, aequam eorum expetens existimationem, qui satis operosum instruendae educandaeque juventutis moliti laborem, re habeant compertum, quanta subsicivi subsecundariique sit inopia temporis, quod extraordinariis impendas occupationibus. Sunt praeterea primitiae quaedam, et quasi libamenta disquisitionum grammaticarum, quas prolusionis instar, sub quodam prologi habitu jam praemittam, naturam rationemque παραγωγων linguae Latinae, adjuvante propitioque Deo, examini subjecturus latiori, simul ac plus otii assecutus fuero, quod haud inutili huic inhibeam rei, minutae quidem et hominibus non optime eruditis aspernabili, sed ad veterum scripta penitus noscenda et ad scientiam linguae Latinae prae caeteris necessariae. Cum autem hujus quaestionis decisio, scrupulosaeque rei judicium, factum examussim, in lectione nitatur multiplici, aetatisque sublevetur auctoritate, cujus utriusque locum apud me audacia explet juvenilis, malae existimationis veniam gratiamque eo magis petitam impetratamque volo, quo saepius necessaria exemplorum copia deserar, quibus ad firmanda rerum proferendarum judicia opus esse senserim.

Sed rem retractaturus facile nondum satis stabilita praecepta exemplorum adminiculatione adjutus probabo, et quae his destituta fluctuare videntur, scriptorum auctoritate fulta, firma reddam. Quod si nimia virium fiducia aut praeoccupato rerum judicio exspectationem legentium frustratus fuero, aliorum victus praestantia, his me consolabor, quod paucis viam ostendero, qua, si quis otiosior fuerit validioreque ingenii qualitate instructus, quae obscura remotioraque videbuntur, persequi potuerit. Paucula tamen et a me pro ingenii mediocritate inventa exponam, quae si benevolus lector commode tractata judicaverit, certe melius de his erit actum, quam si nostra jactentur praedicatione.

A. Gellius, haud inanis rerum antiquarum scrutator, neque nimis perplexa curiosius persequens, neque scrupulosa quaeque pauloque remotiora intacta praetermittens, ea tantummodo in commentariis suis se recepisse fatetur, „quae virum civiliter eruditum neque audisse unquam neque attigisse, si non inutile, at quidem certe esset indecorum.“ Quibus cum rebus animum intenderet, non mirum, eum et ex re grammatica hic illic cognitu utilia perceptuque difficilia recepisse, quibus ingenia hominum ad alendum studium honestum incitari et ad verborum origines causasque indagandas adigi possent. Hac quidem natura quaestio est illa, quam a Nigidio Figulo motam nobis auctor est Lib. IV. cap. IX. unde factum sit, ut non omnium nominum inclinamenta in **osus**, quae, cum nimium ac praeter modum significent, idcircoque in culpas cadant, ut vinosus, mulierosus, verbosus, morosus, famosus, iisdem subjecta sint legibus, fines praescriptos excedentibus, quorum primitiva sunt ingenium, forma, officium et cet. Hujus quidem quaestionis simillimam disputationem, nobis proponit Lib. XI. cap. XV, Terentio Scauro in reprehensionem vocato, quod vituperarit Caesellium Vindicem, qui a Laberio inusitatius procusum vocabulum **amorabundus** receperit, cum tamen requirere intermiserit, quae inventu longe essent digniora, an quid et quantulum differret a ludibundo ludens, ridibundo ridens et errabundo errans; an a principalibus verbis paullum aliquid distarent et quam omnino vim haberet particula haec extrema, ejusmodi vocabulis addita. Hoc potius inquirendum fuisset in istiusmodi figurae tractu, in vinolento et lutulento et turbulento, vacuane et inanis sit istaec productio, cujusmodi sunt, quas *παραγωγάς* Graeci dicunt, an extrema illa particula habeat aliquid suae propriae significationis.

Injectam hanc de terminationibus nominum latinorum disquisitionem haud parvi esse momenti certe optime dijudicabit is, qui singulis ad examen vocatis vocabulis, secum reputaverit, quid in vocabulis derivatis, longiusque a primis radicibus digressis, singulae compositionis sibi velint partes. Ad perfectam cujusvis linguae cognitionem non solum hanc rimandi viam multum valere, sed etiam plane esse necessariam, judicio eruditorum affirmari et magnopere exquiri videmus. Quatenus harum rerum usus nostris commendandus sit ludis publicis et ad excolendos rudes puerorum juvenumque animos adhibendus, sollertissimo cuique juventutis praeceptori diligentissime exquirendum et pro ingenii doctrinaeque facultate exercendum. Non dubito fore, quibus tam subtilis particularum linguae dissolutio, syllabarum nimis curiosa perscrutatio, et ipsa-

rum litterarum perpetua observatio inutilis prorsus atque futilis esse videatur, minimeque utilitati commodisque juventutis inserviens. At equidem contra nullam rem ad debiles puerorum juvenumque animi vires corroborandas, facultatesque ingenii eorum acuendas magis esse aptam, magisque accommodatam, censeo quam accuratam illam tractandae linguae rationem. Omnes enim parentes, quibus cordi atque curae est liberorum salus, pueros erudiendos nobis tradituri, non his magnam rerum copiam verborumque amplitudinem expostulant efflagitantque, quorum aut nullus aut certe minusculus in vita quotidiana et societate humana est usus, sed qui ultra vulgus sapiunt potius a nobis petunt, ut facem illam eorum animis et ingeniis adhibeamus, qua adjuti, cum adoleverint, aut locum voluntario arbitrio eligendum aut a patria iis demandandum totum expleant. Eo autem tantum perveniri posse, cunctis ingenii dotibus optime excultis, omnique perversitatis atque confusionis caligine sublata, juxta hujus rei peritissimos monere me intelligo. His autem imprimis inservire rebus accuratam linguarum tractationem, indeque optima rerum intellectus incitamenta sumi posse, vel parva argumentorum adhibita copia ad satietatem probari posse censeo. Intendat mihi puer pro captus sui modulo animum similium vocabulorum simili inclinationi et vix cotem invenies aptiorem, qua attentionem ejus animi magis acuere possis. Discat mihi sub eandem cadentia regulam congerere, his autem repugnantia segregare, et quantum fieri potest eruat causam, quare pro naturae diversitate haec inter se conjungi possint vocabulorum elementa, illa contra omnem respuant vicinitatem. Neque cognoscere praetermittat, quae aptissima visa sint elementa, quibus ad conglutinanda variorum generum composita uti solet lingua, maximeque contendat perspicere naturam et rationem additamentorum, quibus varia derivatorum genera augeri solent. Sed nequaquam novisse satis est, a quibus quaeque deriventur vocabula externaque tantummodo noscere signamenta, sed imprimis spectandum, quaenam inter se similes significationes similibus injungantur additamentorum particulis, quantamque notionum diversitatem efficiat diversitas generis vocabulorum, unde quaeque deriventur. Et accuratam quantitatis syllabarum observationem recteque ponendorum accentuum notitiam haud negligendam suppeditare exercendarum virium facultatem hujus rei experiundi cupidioribus facile persuaderi posse puto. Sunt igitur haec omnia peridonea commodeque comparata, quibus ad ingenii facultates exercendas perficiendasque felicissime utaris, ad perdiscendam autem linguam ita necessaria, ut his neglectis vix unquam ad veram ejus cognitionem pervenire possis. Merito igitur et formandorum vocabulorum ratio libris recipitur, quibus ars grammatica docetur. Cum vero spinosa illa artis grammaticae parumque adhuc culta pars diligentiorem exquirat accuratioremque tractandi rationem, haud inane operae pretium fore duxi, quaedam huc pertinentia severiori subjicere examini, originemque et rationem denominativorum verbaliumque in a l i s exeuntium, quaeque ejusdem sunt naturae in i l i s, e l i s et u l i s desinentia apponere.

Totum quidem *παραγωγῶν* perscrutantes genus vix aliud quid majoris esse potest nobis momenti, quam investigare, undenam, altera horum vocabu-

lorum cognita atque perspecta parte, alteram petierit lingua, eamque hac instruxerit significatione, quam eodem exitu inter se similibus vocabulis communem esse reperimus. Temere hoc esse factum neque artificosa cujusvis linguae structura nos suspicari patitur, interpositaque reputationis diligentia, saepius adhibitis his illisve παραγωγαῖς singularem quandam notionem injunctam esse cognoscimus, quam ut inanes atque vacuas additas esse putemus. Quae cum ita sint, certe operae est pretium naturam particularum illarum persequi, initiumque eruere, unde primum in magnam vocabulorum multitudinem emanaverint. In omnibus propter obscuram elementorum naturam hoc fieri non posse et perpauca tantum primas prodere radices, perplexa quidem vetustate obrutas, profecto maxime perspicuum est iis, qui ejusmodi quaestionibus addicti, partem hanc ad veram linguae cognitionem pernecessariam luce quadam adspergere conantur. Quantum hoc in paragogica particula adjectivorum in alis desinentium ejusque familiarium fieri possit, etsi fortasse verum non videro, certe verisimillimum me vidisse haud arroganter de me praedicabo.

Est illa quidem particula maximam partem nominibus addita, quorum multitudo primis quidem linguae temporibus non magna fuisse videtur; paulo latius exspatiata est, cum optimi linguae auctores ingenii culturaeque pollentia instructi, in augenda et exornanda ea haud inanem consumerent operam, ita ut et nominibus a verbis derivatis dexteritate quadam sollertiaque eam obtruderent; jam decrescente autem linguae vigore nimis seduli verborum artifices, subtilitate sententiarum ducti, neglecta majorum in eligendis formis diligentia, auriumque judicio in consilium non vocato, magnam effecerunt horum adjectivorum in alis exeuntium copiam.

Quae a natura huic particulae insita sit notio, pro ratione quidem elementorum nec constitui nec ostendi liquet, ita ut voluntario arbitrio positam iis tantummodo in vocabulis eam persequi liceat, in quibus alienis destituta elementis simplicem planumque nobis exhibet adspectum et conjecturam satis certam patitur. Sunt autem minutae illae duae voculae, quarum altera qualia quaeque sint nomina quaeri, altera quaesitam iis inesse qualitatem ostendi solet, litteris tantummodo vocabulorum initium ornantibus inter se dissimilia, talis hujusque relativum qualis. Quod si quis dubitat, num re vera haec eadem sit particula, quae denominativis in alis exeuntibus additur, eorumque definit notionem, hic velim cogitate secum reputet rationem sese invicem recipientium vocularum, quot tot, quantus tantus, qualis talis. Quae si inter se contulerit, reperiet incipientem litteram qu constituere significationem interrogativam et relativam, et praepositam t proprium addici significationi demonstrativae. Succisis igitur rejectisque notionem dantibus litteris qu et t, relictam videmus particulam alis. Quae utrum obsoletum vocabulum alis, quod pro alius praeter Lucretium vix alterum reperiebat amatorem, an omni familiaritate cum hoc vocabulo sit exclusum, non ita facile decerni potest, quippe pro re certante significatione, rem autem dissuadente quantitate, quam brevem sibi vindicat antiquatum alis, cum producti speciem prae se ferat παραγωγῇ alis. Sublata vero omni cum alis, quod nobis alius est, familiaritate, praecipuaque

compositionis remota parte, quid parvulum illud vocabulorum adminiculum pro se significet, equidem non reperio: etymis autem nominum addita notionem eorum primariam modificat et qualitatis significationem iis injungit. Rem ita esse comparatam exemplis nominum ex quovis quinque ordinum desumptorum satis nobis persuaderi posse puto. Ut enim ex anim—a fit animalis, ita forma tum videmus fluvi—us fluvialis, rex reg—is regalis, manu—s manualis, di—es dialis. Sui juris hanc esse particulam, neque unquam pro natura vocabulorum, quibus additur, mutari, ut quidem Priscianus [1]) docere videtur, aut certe, ut perversam formandi rationem init, diligenter perpensis his in alis desinentibus vocabulis, re ipsa huic opinioni repugnare cogimur. Semper enim penultima producitur, totaque particula immutata primae quidem et secundae declinationis primitivorum etymis additur, ut mensa mensalis, via vialis, liber liberalis, neuter neutralis; derivatorum autem insititiae vocali adglutinatur, cujus rei non refellenda nobis exhibent argumenta vocabula primi ordinis curialis, pluvialis, secundi martialis, judicialis. Tertiae declinationis primitiva juxta derivata nomina hanc recipiunt particulam, abjectis litteris, quibus obliqui formantur casus, ut quidem probant hospitalis, navalis, corporalis, cardinalis, rationalis, conditionalis, coemtionalis; uno tamen excepto sive Cerealis sive Cerialis scribitur. Quod si vocabulum familiarium suorum sequeretur rationem, Cereralis potius pronuntiandum fuisset, haud accepta forma linguae Latinae auctoribus. Quartae declinationis vocabula, sive primitiva sunt, sive derivata, retinent huic ordini propriam vocalem u atque huic adjungunt παραγωγὴν alis, ut censualis, socrualis, tonitrualis, et abjecto u tonitralia. Contra quintae declinationis vocabula, exceptis monosyllabis, quae hanc particulam non recipiunt, abjecta finali syllaba es, nominum etymis adsociant παραγωγὴν alis, ut specialis.

Verbalia quoque a prima conjugatione inveniri in alis, quod docet Priscianus [2]), unicoque probat vocabulo penetralis, certe perangustis circumscribendum est limitibus et solitarium penetralis omni adhibita cura vix alterum sui simillimum inveniet socium. Primi quidem verborum ordinis, nullum invenio vocabulum, quod ex se procreatum adamaverit in alis desinens verbale, nisi manalis huc traxeris, cujus esse primitivum manes, non facile rem intelligentibus persuadebis; contra a verbo manare esse profectum manalis facile probari potest nominum copia, quibus ad eorum designandam naturam notionemque satis frequens addi solet. Huc trahe petras manales, quarum qualitatem nobis exposuit Fulgentius [3]), in libro „de prisco sermone," et manalem lapidem, sive ostium Orci, sive petra illa erat extra portam Capenam juxta aedem Martis, quam describit Sext. Pompejus Festus in libro „de verborum significatione," nec non Paulus Diaconus illius recipiens verba, manalemque exponens fontem, ab eodem receptum Pompejo Festo. Sacrificalis Tacito primum ejusque aequalibus nota vox, utrum originem duxerit a sacri-

1) Lib. IV. cap. IV. edit. Krehl p. 155. 2) Lib. IV. cap. V. p. 156. 3) Dion. Gothofr. Auctores Latinae linguae p. 801, 28.

fico an a nomine sacrificus equidem pro certo non affirmavero; a sacrificio vero exiisse fortiter negabo, quod si hujus tractus adamasset foetum, certe sacrificialis procreasset. Quae jam exstant in alis desinentia verbalia aut a participiis proficiscuntur, quod genus non optimae notae figmenta sunt accubitalis, acutalis, melioris notae peremtalis, genitalis, mortualis; aut ad secundum verborum aberrarunt ordinem, qui instar omnium, quantum scio, unum nobis suppeditat patalis, cujus si originem paulo accuratius eruere coepimus, ad verbum pateo facile deducimur. Cum inter ἁπὰξ λεγόμενα verba ab omni destitutum societate unum Plautum sequatur auctorem, non omni caret interpretationis difficultate. Facem quidem nobis praefert Paulus Diaconus praecipiens „Patalem bovem Plautus appellat, cujus cornua diversa sunt et late pateant.“ Legitur autem in Plauti Truculento Actu II. Scena II. v. 22.

„Ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem.“

Non sine ratione Meursius tueri contendit patulus. Hujus adversariorumque opiniones pensitaturus in consilium adhibeat Taubmannum in Plauti Trucul. ad l. c. Quae autem Palmerius ad Plauti Milit. glorios. Actu IV. Scena II. v. 27.

„Fecisti modo mihi ex proclivo palam rem,“

de patalibus locis proposuit, nimis sunt lubrica, infirmaque idonea egent auctoritate [4]. Quod unum jam restat verbale in alis sive a verbo adjicio adjicialis sive aditialis, quod participiale esset corruptae formae, potiusque aditalis pronuntiandum, unde profectum sit, satis longa disceptatione ad originem deducere conatus est E. I. A. Seyfert auf Geschichte und Kritik gegründete lateinische Sprachlehre Parte IV. p. 9., ad quem hujus rei curiosos delego.

Prorsus eadem paragogica forma est, quae in aris finitur, neque significatione ab illa in alis diversa, neque ulla naturae proprietate dissimilis. Quod autem productum illud a non subsequitur l sed r, facit ratio et natura consonantis praecedentis penultimae a fine syllabae. Charisius [5] mota dubitatione, laterale an laterare sit scribendum, injectum scrupulum removet Plinii ex lib. VI. prolato judicio „si r littera praecesserit, in penultima syllaba sequi debet l, ut augurale, contra si l praecesserit, sequi debet r, ut molare.“ Plinii quidem sententiam sua adjuvat auctoritate Priscianus [6], quo loco de ratione nominum in aris derivandorum agit. Sed et hic ut in denominativis in alis exeuntibus nimis fluxam proponit regulam. Cum enim a verbis derivari hoc genus vocabula doceat, certe praepropteri convincitur judicii, nulla proponens hujus verbalium formae exempla, et quod Plautini exstat ingenii novissimum vocabulum „vapularis tribunus“ [7] magis ridiculae formationis esse videtur foetus, quam naturae linguae accommodatum exemplum. Eandem autem esse παραγωγήν alis et aris satis probatur iis vocabulis, quorum ratio litterarum ita est comparata, ut eodem jure alis et aris recipere possint, puta linealis et linearis, pecunialis et pecuniaris, palealis et palearis

---

4) Cf. Taubm. ad Plaut. p. 706. 5) Lib. I. p. 109. ed. Putsch. 6) Lib. IV. cap. II. p. 158.
7) Persa Actus I. Scena I. v. 22.

ris, extalis et extaris, latialis et latiaris, aquilonalis et aquilonaris.

Quae autem sit cognatio atque familiaritas diversitasque παραγωγῶν in aris et arius, maximam quidem partem ex Charisio discere possumus [8]. Docet nimirum grammaticus „Cubicularius, custos cubiculi, cubicularis vero lectus, cubiculo aptus, ut caligarius artifex, caligaris clavus: [similiter ars fabrica et fabrilis] [9]) et cellarius servus et turdus cellaris, et balnearius fur, balnearis autem urceus, et solium balneare. Unde perspicuum est Calvum ad amicos non recte dixisse, „„non est triclinarius, cum triclinaris dicere debuisset.““ Cum disertis non significaverit verbis, quam differentiam horum statui voluerit vocabulorum, ad rem explanandam haud supervacui quid a me additum iri confido, si hujus rei cognoscendae cupidis affirmavero, exemplisque probavero, nimis arctos a Charisio huic vocabulorum generi constitui fines, neque in omnibus ejusdem formae vocabulis praeceptam servari doctrinam. Quantum enim exemplis, a Charisio nobis propositis, conjici licet, in arius desinentia denominativa tantummodo nominibus voluntaria agendi facultate instructis apponi vult, contra in aris exeuntia rebus inanimatis utilitati hominum inservientibus conjungi censet. Sed non omnibus huic regulae subjectis vocabulis datum semper servatur praeceptum. Creta enim annularia dicitur [10]), articularis morbus [11]) et articularius morbus [12]), cubicularia lacerna [13]). Jocularis audacia et jocularium in malum. His quidem illam a Charisio datam regulam non observari satis probatum esse puto, ejusque sententiam hoc tantummodo sublevari potest, quod saepius denominativa in arius, quam in aris exeuntia addantur personalibus substantivis, quibus non additis substantivorum funguntur munere, ad analogiam verbalium in orius exeuntium, eadem agendi facultate instructa, qualia sunt columbarius, consiliarius, coquinarius, ergastularius, sellarius. Quamvis maximam partem masculini generis substantivorum loco ponuntur, tamen et feminini generis exitus in aria, non addito substantivo, hujus fungitur vice. Ita Plautus [14]) „quod collus collariâ caret.“ Neque tamen in aris exeuntia ab omni hujus officii participatione excluduntur, aequoque gaudent jure [15]) „Etiam nunc saluto te, familiaris, prius quam eo.“ At discrimen illud, quo denominativa in arius desinenstia potissimum nominibus libera agendi facultate praeditis addicuntur, contra in aris exeuntia, quae sui non sunt juris, imprimis comitantur substantiva, vix in singulari observatur numero. Cum vero describendarum personarum rerumve auctus sit numerus, prorsus eadem utraque laetantur licentia. Eodem enim jure dicitur [16]) auxiliares-

---

8) Ed. Pusch. p. 59. 9) Uncis inclusa neque similiter dicta, neque a Charisio profecta censeo, sed potius a commentatore quodam dissimilia inter se conferendi cupidissimo margini fuisse adscripta, posteaque a nimis sedulo librario textui esse intrusa. 10) Plin h. n. XXXV. 16. 11) Svet Galba 21. 12) Plin. h. n. XXIII. prooem. 13) Martial XIV. 39. 14) Captivi Act. II. Scena II. v. 107. 15) Plaut. Mil. Glor. Act. IV. Scena VIII. v. 5. 16) Caes. B. Gall. III 25.

que, quibus ad qugnam non multum Crassus confidebat, et Liv.[17] „cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt." Idem[18] „cohortibus alaribus." Generis autem neutrius pluralis numeri exitus ita prorsus consentiunt, ut neque unde sint profecta facile dicas, neque cui adscribenda sint declinationum ordini cum quadam probabilitatis specie affirmes. Inde igitur repetendae nobis sunt causae, quod pluralia in aria exeuntia in patrio casu et secundum tertiumque inclinandi sequantur ordinem, cum nulla notionum diversitate. Neque aliam invenies causam, cur in alia desinentia pluralia tantum, qualis festorum dierum cunctus est numerus, ut Floralia, Bacchanalia, in genitivo casu nulla notionis diversitate et Floralium et Floraliorum, Bacchanalium et Bacchanaliorum recipiant[19]. Affinitatis autem quaedam species denominativorum in alis et arius exeuntium[20] inde quoque sumi potest, quod ex adjectivis in alis oriunda substantiva potius illum in arium sequantur exitum, quam qui eorum naturae in ale videtur esse accommodatior. Orta enim quaestione[21], aqualium an potius aquarium sit dicendum, Plinius secundus putat, ut laterale laterarium, scutale scutarium, et manuale saxum, manuarium vas, proin aqualis aquarium dici.

Major profecto familiaritas, eademque prorsus natura cum his in alis omnibus est denominativis, quae mutata tantummodo vocali, qua hae παραγωγαί incipiunt, eandem retinent notionem, cujusmodi sunt in ilis, elis et ulis desinentia.

In alis et ilis desinentia, non nisi vocali a fine secundo posita loco inter se esse dissimilia iis ostenditur probaturqne vocabulis, quae utriusque exitus formam recipere haud aversantur. Ita enim juvenalis et juvenilis dicitur, neque cum ab aliis adhibitum videret bubilis Petronius dicere dubitavit bubalis, licet haec forma a nonnullis editoribus rejiciatur. Hoc autem singulare habet illa in ilis forma paragogica, quod eadem fere frequentia verborum etymis, et participiorum horum additur formis, qua nominum libenter etyma prosequitur. Non tamen sine notionis quantitatisque diversitate. Denominativa enim qualitatem designant illorum nominum, quorum adduntur etymis, notionemque prae se ferunt liberae actionis facultatem describentem, cujusmodi sunt aedilis, aprilis, caprilis, fabrilis, herilis, hostilis, horumque similia, quorum vix ad triginta impletur copia, neque certe inde digitorum assequitur numerum. Παραγωγήν hanc in ilis quantitatem retinere, quam in alis exeuntibus propriam esse vidimus[22], et ab iis differre, quae a verbis profecta penultimam brevem adamant, quippe notam rem tribus adnotasse verbis satis est. Secundi tertiique vero ordinis verba sola hoc procreare genus παραγωγῶν, quarti contra ordinis verba hanc formandi derivatorum rationem prorsus respuere, quae au-

---

17) XL. 40. 18) X. 40 19) Sergius in Donat. edit. II. Putsch. p. 1846. 20) Cf. Gronov. ad A. Gell. noct. Att. I. 11. 21) Charis. edit. Putsch p. 95. 22) Exceptis humilis et parilis, quae notavit C. G. Zumpt. Lateinische Grammatik, fünfte Ausgabe p. 230, quibus addam pestilis, cum antepenultimam corripiat in pestilitas Lucret. Lib. VI. v. 1096. 1123, 1130.

tem prima dicitur conjugatio vix in tribus quatuorve inde profectis participiis hanc particulam admittere, profecto notatu dignissima res est iis, qui a vitiis in loquendo sibi caventes omnem evitare cupiunt errorem. Et notionis ratio paullulum decedit ab ea, quae a nominibus profectis indita est. Denominativa enim nominibus addita eorum describunt naturam, agendi quadam facultate instructam, aut certe possidendi et prae se ferendi qualitate praeditam; contra quae a verbis deducuntur omni agendi sublata vi, nonnisi conditiones rerum nominibus inhibendas designant. Omnem autem notionum diversitatem exemplis evidentius ante oculos poni, quam verbis explicari posse, res ipsa ostendit. Quod si altera ponamus parte aedilis civilis, gentilis, puerilis, his autem conferamus agilis, fragilis, tegilis, versilis, facile inde deprehendemus diversam notionis rationem. Quid enim demonstrare attinet, quantum notionis ratio discrepet epitheti a e d i l i s in enuntatione a e d i l i s m a g i s t r a t u s, a e d i l e s l e g e s et a g i l i s in Horatii Epist. I. 1. 16, „Nunc a g i l i s fio, et messor civilibus undis.“ Quid igitur mirum, quod altera horum pars facile substantivorum induat naturam, ita ut additum sibi adjectivum hospitaliter assumat, cujusmodi est a e d i l i s c u r r u l i s, altera contra pars neque mutandae naturae fert conditionem, omnemque abnuit adjectivorum societatem. Inde etiam factum est, ut denominativa illa neutrius generis in ile desinentia, adjectivorum prae se ferentia formam, saepius substantivorum receperint naturam, quam ut ad horum analogiam facta vocabula, qualia sunt bovile, cubile, incile, insile, molile, monile, orbile, lingua aversaretur, quamvis horum nulla in i l i s reperitur forma. Neque praetermittenda notatu dignissima res, ad analogiam participialium, quo genere sunt altilis, coactilis, clusilis, consumtilis, quaedam formari vocabula, participialium prae se ferentia speciem, quae tamen a substantivis originem traxere. Hujus vero formationis primam dederunt ansam denominativa illa in a t u s exeuntia, quae verbalium quidem oculis praebent speciem, facto autem, quibusnam a verbis profecta sint, inquirendi periculo, operam elusisse, nullis ejus etymi repertis verbis, satis singulari illa denominativorum formandorum ratione destitutus abibis. In animum inducas amplam illorum nominum multitudinem, quarum augent numerum auratus, barbatus, falcatus, clipeatus, oculatus, ad quorum analogiam recentiores haud impari jure formarunt tiaratus, diadematus [23]), specieque eorum decepti ejusdem etymi verba procudere haud sunt aversati. Praepostera illa potius formandi ratione haec verba lucem conspexisse judicarem, quam quod magna Latinae linguae radicum pars sit amissa, quam rem lectu dignissima disceptatione nobis proponit Casp. Scioppius. Hujus quidem opinionis verisimillimam rationem inde probari posse puto, quod maximam partem recentiores scriptores, quique luteae adnumerantur aetati, ejusmodi formationes ausos esse videmus. Vocem quidem e s c a m ab optimis linguae Latinae auctoribus in usum adhibitam esse videmus, certeque a verbo edere profectam credimus, at nusquam inde derivatum verbum e s c a r e romana civitate condonarunt, quam recipere non aversatus est Solinus. Haud igitur mirandum, quod

---

23) Olai Borrichii cogitationes de variis linguae Latinae aetatibus.

arriserit escatilis Tertulliano, auratilis Solino, cum hujus loco usu veniat optimae notae scriptoribus auratus, illius autem vicem praestiterit ab Horatio non ignobili instructa auctoritate vox edulis. Non magna quidem illarum a nominibus in atilis desinentibus profectarum vocum est copia, sed neque ab optimis repudiata scriptoribus, qui satis auctoritatis hujusmodi vocabulis indiderunt. Quantum equidem scio hujus generis denominativa Musarum vix adaequant numerum, neque his enumeratis facile inveneris, quibus numerum augeas. Sunt autem auratilis, ferratilis, fluviatilis, foliatilis, furiatilis, hamatilis, pluviatilis, saxatilis, umbratilis. Quae enim horum similia restant, auctores sequuntur participia, quorum pars non optimae notae adscribitur verbis. Numerum horum noscendi cupidus contentus sit octo a me sibi propositis, quorum si copiam novis repertis auxerit, certe meam et aliorum fortasse inibit gratiam. Mihi quidem nota sunt escatilis, natatilis, plumatilis, radiatilis, stagnatilis, tornatilis, trusatilis, versatilis. Mirantibus, quanam ductus opinione plumatilis et radiatilis non potius denominativorum adscripserim numero, haec sit reddita ratio, quod optimis usitata sint auctoribus verba plumare atque radiare, unde ad analogiam participialium in atilis exeuntium orta esse plumatilis et radiatilis extra omnem positum esse dubitationem equidem censeo.

Hanc in ilis *παραγωγήν* missam non faciam, priusquam mentionem injecero numeralium Quinctilis et Sextilis, quae a Prisciano in scriptiuncula „de figuris numerorum" praetermissa hanc ob rem miror, quod commemorata derivatorum forma in rius [24]) ne praeterita quidem ab eo sunt, omni societate exclusa, singularis atque dualis. Nonnisi exitu singularis et dualis ab illis in arius distare, quippe quae eandem prorsus naturam notionisque rationem prae se ferant, jam supra a me, exposita paragogarum illarum natura, satis explicatum puto, meumque hac de re judicium inde affirmari video, quod loco dualis, nisi aliter linguae Latinae auctorum tulisset lubido, aequo jure recipi potuisset binarius, qua figura Lampridius in Alex. Sev. binaria forma delectatus, abuti haud est aversatus. Quintum autem atque sextum anni mensem neque quinarium neque senarium fuisse appellatum, sed quintilem et sextilem, inde factum esse puto, quod, qui tertius anni est mensis Aprilis ad designandum mensem hanc particulam ilis aptiorem jam vulgarioremque reddiderat. Quantitatem retinent a nominibus derivatorum, penultima producta.

Iam ordo tangit particulam elis. Non multum loci reliquerunt sociae suae haud infideli in alis atque ilis exeuntia, omnibus fere praeoccupatis sedibus, unde cognatam sibi natura et significatione satis arroganter propulsarunt, invidiosamque reddiderunt loquentibus. Sed gratam se exhibens recipientibus vel invitis cognatis, jus suum persequebatur, neque omnino se loco moveri passa est. Perpaucis accepta nominibus, satis astute parum cautis verborum auctoribus nimis blande se obtulit, receptaque nulla melioris notae scriptorum firmata auctoritate, sedulam recipientium elusit operam, iterumque benignius in usum

24) Dicendum potius in arius erat; non enim video, unde illud insititium sumi possit a, paragogicae formae in arius prorsus familiare.

adhibita reperitur. Frequentius ad partes vocatum est adjectivum crudelis, quam ut non omnium primum requirentium occurrat curiositati. Vestigia ejus premens subsequitur fidelis, quae fide se ortam negans, haud inficianda parenti progenies, inde derivatam vocem fidus amplectitur, in judicii sui testimonium advocato vocabulo crudus, quod sui procrearit simillimum crudelis. Qui autem fidum in maximis, fidelem in minoribus adhibitos putent negotiis, somnia captasse facile convinciuntur, neque minus larvis ludificatos videmus, qui amicum fidum, at servum fidelem dici statuerint. Quin etiam perfidelis ad partes vocavit Cicero [25]), nullo hujusmodi facto discrimine. Unde, victum ejus designans nomen, traxerit canorum augens avium concentum, Carduelis, optime nobis exposuit Isid. Orig. Lib. XII. cap. 7. „Quod spinis et carduis pascitur, unde etiam apud Graecos ἀκάνθις." Quae jam restat vocula patruelis a patris fratre sublatos designans filios filiasque, optimis accepta linguae Latinae auctoribus, ansam praebuit sublestioris fidei scriptoribus ad fingendas voces matruelis et fratruelis, quarum altera, quae melioris notae scriptoribus dicitur patruelis, minus probata est fratruelis. Quid faciam voci Mantele, cujus de exitu, utrum ile sit an ele, disceptatur, me nescire libentissime confiteor. Antepenultima sive e est sive i, eandem hujus particulae non mutat significationem; unde vero insititium illud t venerit, manibusque intrusum derivandi rationem omnino obscuram reddiderit, non facile nobis quis dixerit. Iam altero a fine loco proponi gestit Fascelis, quod Dianae cognomen est, non nisi hujus profanatum honori atque ornatui; ordinemque in elis exeuntium claudit vox mantuelis, qua qui uti ausus fuerit, deridetur, quod sibi non caverit a vocabulo furca protrudendo.

Quam in enumerandis denominativis Priscianus paucissimis commemoravit verbis particulam ulis, eo minus intactam praeteribo, quo facilius parva in ulis desinentium derivativorum copia suspicionem movere possit, paullo negligentius rem esse tractatam, neque ex omni parte propositam disquisitionem esse absolutam. Natura atque significatione huc usque tractatis prorsus convenire optime sibi persuadebit haec inter se conferendi non aversatus laborem. Non quidem pro certo affirmari potest num Varro R. R. I, 31, 4. ex fabuli segete, scribens, sexto positum voluerit casu, an patrio adhibitum maluerit, neque unquam A. Gellius XVII, 11. „uti edilia quidem omnia defenderet ab arteria," scribens [recentiores editiones receperunt edulia] Horatium superabit [26]) „Vinea submittit capreas non semper edules," nobis exhibentem, cum neque paribus armis, neque pari gravitate pro eadem re certent auctores. Sed immisso illo dubitationis scribendi scrupulo satis patet, horum vocabulorum formam scribentium legentiumque pariter animos dubios fecisse, utram praeferrent formam nescientium. Quod vero edulis, inter pauca ejus tractus denominativa verbale, adamans penultimam longam consuetudinem sibi cognatorum, penultimam correptam complectentium, abjuraverit, notatu haud indignam rem pro se quisque animum advertat.

---

25) Epist. ad Att. II. 19. p. f. 26) Sat. II. 4. 43.

